Q. D. O. M. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

PERIPNEVMONIA

EX

NIMIO AERIS REFRIGERIO

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GVILIELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET WESTPHALIAE COMITE SAYNAE ET WITTGENSTEINII RELIQVA

PRAESIDE

IOANNE ADOLPHO WEDELIO
PHILOS. ET MED. D. PRAXEOS ET CHIMIAE PROF. PVBL. ORD. SERENISS. SAX. DVCVM CONSIL. AVLICO ET ARCHIATRO ET ACADEM. NATVR. CVRIOS. COLLEGA

PATRONO, PRAECEPTORE AC PROMOTORE SVO COLENDO

PRO LICENTIA
SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA MORE MAIORVM RITE CAPESSENDI
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIECIT

AVCTOR

CHRISTOPH. FRIDER. ALKOFERVS
RATISBON.

DIE X. MAII MDCCXXXVIII.
LOCO AC HORIS CONSVETIS.

IENAE, LITTERIS IO. FRID. RITTERI.



LIBERAE AC AVGVSTAE
S. R. I. REIPVBLICAE RATISBONENSIS
SENATVI INCLYTO
VIRIS
ILLVSTRIBVS, MAGNIFICIS, PRAESTRENVIS,
PRAENOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS AC PRVDENTISSIMIS DOMINIS,
DOMINO
CAMERARIO
CONSVLIBVS
AC
SENATORIBVS
PATRIAE PATRIBVS BENIGNISSIMIS
DOMINIS SVIS
PATRONIS AC MAECENATIBVS
OMNI HONORIS ET OBSEQVII CVLTV
PROSEQVENDIS
MEDICAM HANC DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
DEVOTO ANIMO

DAT, DICAT, CONSECRAT

CHRISTOPHORVS FRIDERICVS ALKOFERVS.



DISSERTATIO DE PERIPNEVMONIA EX NIMIO AERIS REFRIGERIO.

§. I.

QVOTIESCVNQVE in pathologicis inflammationis fit mentio, ſemper ſub ea morbus intemperiei calidæ particularis intelligitur; quia in omni inflammatione calorem in parte maiorem deprehendimus. Cum vero ſimul cum partis affectæ tumore rubore & dolore coniuncta ſit, quæ eſſentialia inflammationis ſymptomata ſunt, hæc vero ex ſolo calore maiori non fluant, eorum ratio ex alio fonte petenda eſt.

§. II.

Fons omnium horum malorum latet in ſtaſi ſanguinis actiuioris, ab obſtructione extremitatum arteriarum facta; venæ enim ad ſtaſin ſanguinis minus ſunt aptæ. Maior enim ſanguini, per extremitates vltimas arteriarum circulanti, datur reſiſtentia ab ipſa horum vaſorum anguſtia: venæ vero, ſanguinem hunc exci-

pientes, in progressu euadunt capaciores; hinc nulla ratio subest, quare sanguis, qui per vltimas arteriarum extremitates angustiores libere & minus impedite transire potuit, in vasis amplioribus, minusque sic resistentibus stagnare, viamque sibi praecludere, & inflammationes parere, deberet.

§. III.

Patet enim ex tali stasi ab obstructione facta

1) calor. Nam massa sanguinea tali gaudet qualitate, vt, quamprimum stagnat, a suo sero liberetur. Cum vero serum sit proprium salium diluens & temperans, salia inde fiunt concentratiora, & in reliquas massae sanguineae partes actionem suam maiorem exercent: &, quia maxima pars sanguinis, stricte ita dicti, constat ex alcalicis & sulphureis partibus, resolutio particularum sulphurearum, & liberatio ignearum fit, & hinc motus eorundem, qui caloris nomine venit. Cum etiam ob stasin adfluxus sanguinis fiat maior, & sero secedente, globuli sanguinis magis accumulentur, adeoque plures partes igneae liberentur, illique exitum debitum non habeant, calor maior in parte redditur.

2.) tumor. Facta enim sanguini in extremitatibus arteriarum quadam resistentia, vt exire libere non possit, adfluxus eiusdem pergit, reliquum vasorum spatium magis replet, & per repletionem maiorem premit parietes vasorum, & quia sunt flexiles, nec sufficienter resistunt, fit distensio vasorum & tumor. Praeterea, quia per calorem in parte maiorem sanguis rarefit, rarefactus autem amplius spatium occupat, hinc repletionem & distensionem auget. Adeoque a repletione maiore, tam per quantitatem, quam per rarefactionem auctam, facta, tumor sequitur.

3.) rubor. Cum enim serum per stasin dictam ex sanguine secedat, adeoque globuli, qui ruborem propriè habent,

habent, magis ad ſe inuicem accedant, & augeantur in parte adfecta, ſaturatior fit color, idque eo magis, quo magis minima vaſcula arterioſa, quæ antea diluitiorem, ob ſerum coniunctum, continebant ſanguinem, a ſanguine rubicundiori magis repleta & diſtenſa ſunt; vnde vndiquaque transparet ille rubor, qui adhuc magis augetur in ſtaſi grauiori, quoniam in hac omnia laudata eminentius fiunt. Transparet autem color ſanguinis contenti, quia vaſa ſunt pellucida, & eo eminentius, quo minora ſunt, cum & vna tenuiores habeant parietes.

4.) dolor. Quælibet enim extenſio nimia & ſubitanea fibrillarum neruearum in ſe eſt doloroſa, in omni vero inflammatione talis eſt extenſio, quam repletio & preſſio ſanguinis in vaſis, ita adfectis, dicto modo præſtat. Non minus quoque ſanguis, feruidior ita euadens, ardorem doloroſum his fibrillis infert, & ſalia liberata, & concentratiora acrioraque reddita, irritationem iisdem his, imprimis iamdum tenſis, conciliant, doloremque ſic magis augent. Ergo inflammationes dolorem indiuiduum habent comitem, & quidem eo vehementiorem, quo pluribus pars adfecta gaudet fibrillis nerueis ſentientibus, & grauiores cauſæ dictæ ſunt; eo remisſiorem, ſi contrarius ſtatus adſit.

§. IV.

Cum igitur ſtaſis ſanguinis actiuioris immediate inflammationem faciat, huius quoque cauſa immediata eſt. Hanc autem infert obſtructio extremitatum arteriarum.

§. V.

Occurrit itaque in inflammatione morbus intemperiei, nempe ipſa inflammatio; morbus conformationis, obſtructio, vt & tumor; morbus ſolutæ vnitatis, & quidem in fieri in dolore, quæ & in facto coniungitur,

ſi in

ſi in ſuppurationem abeat. Et ob hanc cauſam quidam inflammationem morbum compoſitum vocarunt.

§. VI.

Symptomata inflammationis eſſentialia (§. 1. 2.) ſemper quidem adſunt, non tamen eodem gradu, vnde & calor minor, dolor minor, tumorque minor, obſeruatur aliquando, maxime in internis quibusdam corporis partibus, quando vel adeo leuis eſt inflammatio, vel in tali eueniat parte, quæ non adeo ſenſilis eſt; vel ab acrimonia maligna fibrillæ nerueæ citius deſtruuntur, vbi perceptio doloris etiam ceſſat. Maiore autem gradu hæc præſentia ſimul ſigna præbent inflammationis præſentis. Si autem hæc minori gradu ſint præſentia, parsque adfecta in corporis cauitate latitet, ex aliis ſymptomatibus, tunc vna euenientibus, manifeſtioribus, cauſisque prægresſis manifeſtis, coniectura artificioſa erui debet hic adfectus.

§. VII.

In toto ſi fiat intemperies calida, adeoque vniuerſalis ſit, & a fermento rarefactiuo, ſalino-ſulphureo, inæquali, dependeat, febris dicitur, cuius ſubiectum eſt tota maſſa ſanguinea, quæ per circulum toti corpori communicatur: hinc in omnibus corporis humani partibus actiones ſuas exſerit. Hæc ſi ſine intermisſione adfligat, nec exacerbationem periodicam habeat, continua κατ' ἐξοχὴν dicitur, vel continens; ſin autem per certa interualla exacerbationem, inſtar paroxysmi, exhibeat, & iterum remittat, non tamen intermittat, continua periodica eſt; vel quotidiana, vel tertiana, vel quartana, continua. Intermittens autem febris eſt, quæ per certos paroxysmos ſe exſerit, & perfecte iterum intermittit, & vel quotidiana, vel tertiana, vel quartana, ſimpliciter vocatur.

§. VIII.

§. VIII.

Ex his febris continua inflammationi grauiori, maxime internæ, coniuncta videtur, siue ab ipsa inflammatione efficiatur, siue vna cum inflammatione accedat statim, siue inflammationem, prius præsens, excitet. Leuior autem inflammatio, inprimis externa, sine febre esse solet. Nisi ipsa febris mitior aliquando talem fecerit.

§. IX.

Efficit autem inflammatio febrem, si partes sanguinis, a stasi eius acres & fermentificæ redditæ, cito, & sufficiente quantitate, sanguini reliquo communicentur, vt hic inde similem motum adquirat. Vna cum inflammatione statim accedit febris, si tale fermentum febrile, in sanguine hærens, & in toto febrem, & in parte stasin, simul excitet. Febris autem inflammationem excludit, si sanguis, iamdum in motu maiore intestino constitutus, stasin alicubi concipiat.

§. X.

Eiusmodi inflammatio cum febre, & quidem acuta seu tali, quæ breui temporis spatio finitur, & grauissima symptomata coniuncta habet, est etiam pulmonis inflammatio, quæ græce peripneumonia audit.

§. XI.

Si structuram pulmonis, vna cum eius officio perpendimus, tunc ex priori, stasin sanguinis, & inde subsequentem inflammationem, haud difficile ibi contingere; ex posteriori vero, inflammationem ibidem non sine satis magna febre adesse posse, luculenter perspicimus.

§. XII.

Intelligitur vero per pulmones istud viscus corporis animalis, in medio ventre situm, vtrumque thoracis latus occupans, corque in medio continens.

§. XIII.

Connectitur ope membranæ cuiusdam, quæ cauitatem thoracis in duas singulares cauitates diuidit, & mediastinum audit, in parte anteriore cum sterno, in parte vero posteriori cum vertebris: diuiditur quoque ope huius membranæ in duos lobos, quorum superficies anterior conuexa, posterior concaua conspicitur.

§. XIV.

Descendit a faucibus ad pulmones vsque canalis quidam, sat amplus, annulis cartilagineis, imperfectis tamen, & in parte inferiori inter se notabiliter distantibus, præditus, qui aspera arteria vocatur. Illa ipsa aspera arteria, quam primum sese pulmonibus appropinguat, in duos abit ramos, quorum vnus dextrum, alter sinistrum, pulmonis intrat lobum, qui rami, prope locum diuisionis, bronchia vocantur. Hæ autem cauitates recipiendo & emittendo aeri externo inseruiunt in respirationis negotio.

§. XV.

Accipit quoque hocce viscus duo notabilia vasa sanguifera, quorum vnum vas immediate ex dextro cordis ventriculo oritur & arteria pulmonalis audit; alterum vero ex ipsa pulmonis substantia egreditur, quod venæ pulmonalis nomine venit.

§. XVI.

Præter hæcce vasa, alia adhuc Ruyschius annotauit vasa sanguifera, arterias nimirum & venas, prioribus longe minores; arteriæ ex aorta & intercostalibus, venæ vero intercostalibus & azygos emergunt, vndiquaque bronchiis cohærent, & inde arteriæ & venæ bronchiales, ab inuentore Ruyschio vero, bronchiales Ruyschii vocantur.

§. XVII.

§. XVII.

Nec minus etiam nerui & vaſa lymphatica ibi in lucem prodeunt: illi, qui non magna adſunt copia, a neruis partim cerebri, partim medullæ ſpinalis, ſunt, hæc vero ad ductum thoracium abeunt.

§. XVIII.

De hiſce vaſis, §. 14. & 15. allegatis, in ſpecie notandum eſt:

1.) ramos bronchiales inter arteriam & venam pulmonalem, in quolibet pulmonis lobulo eſſe ſitos;

2.) eadem vaſa hunc ordinem ſeruare per totam pulmonis ſubſtantiam.

3.) Abire in vaſa ſubtiliſſima, quæ ſenſum viſus fugiunt;

4.) annulos cartilagineos, etiam in minutiſſimis illorum ramis, conſpici;

5.) bronchia tandem deſinere in minutiſſimas veſiculas, primariam pulmonis ſubſtantiam efficientes;

6.) arterias & venas pulmonales, ita formatas eſſe, vt inſtar retis veſiculas ambiant, quæ diſtributio vaſorum ſanguiferorum, ab inuentore nomen habet, & rete vaſculoſum Malpighii vocatur.

§. XIX.

Cognita vero pulmonum ſtructura, haud difficile erit, concludere ad verum ac genuinum eius officium. Sanguis enim per arteriam pulmonalem e dextro cordis ventriculo defertur ad pulmones, &, cum omnis ſanguis ad dextrum cordis ventriculum a partibus redeat, omnem quoque pulmones a partibus venientem in ſe recipiunt ſanguinem; qui ſanguis per venam pulmonalem in ventriculum cordis ſiniſtrum tranſit, ibique per arteriam magnam omnibus corporis humani partibus communicatur.

§. XX.

Cum vero ventriculi cordis diuersæ capacitatis sint, ita, vt dexter sexta parte maior sit sinistro, non omnis sanguis ex dextro cordis ventriculo pulmones ingressus, si idem volumen seruet, posset recipi a sinistro; sed sexta pars in pulmonibus subsistere cogeretur. Si autem in qualibet pulsatione aliquid in pulmonibus remaneret, tandem pulmones ita a sanguine replerentur, vt tandem rupturæ vasorum, extravasationes sanguinis, & circulus plane sublatus, adeoque certa mors, sequerentur. Hoc autem ne fiat, facit volumen sanguinis in pulmonibus in tantum imminutum, vt commode a ventriculo cordis sinistro possit capi. Volumen sanguinis minuitur partim per imminutionem caloris massæ sanguineæ in pulmonibus; partim per secretionem & excretionem eiusdem seri copiosioris. Omne enim fluidum calidum maius habet volumen, quam si eius calor sit imminutus, quod & thermomentra ostendunt. Serum etiam, si ex sanguine copiosius exeat, in tantum volumen sanguinis imminuitur, in quantum hoc spatium in sanguine prius occupauerat. Imminuit vero calorem & serum sanguinis, in pulmonibus hærentis, aer frigidior per inspirationem in bronchia accedens, qui & calidior, & vaporibus seri repletus, per exspirationem iterum exit.

§. XXI.

Patet igitur ex hisce §. 19. & 20. dictis

1.) arteriam asperam ideo factam esse, vt perpetuo per eandem nouum aerem inspiremus, si prior receptus exspiratus fuerit.

2.) ramos arteriæ asperæ, seu bronchia, eam ob causam ita comitari vasa sanguifera per totam pulmonis substantiam, vt medium locum inter arteriam & venam habeant, vt sic aer externus in eadem intrare, ex singu-

ſingulis minutiſſimis vaſculis ſanguiferis & calorem, & vapores ſeri, recipere promptiſſime, & per exſpirationem educere, queat. Quorum rationes ex phyſiologicis petendæ ſunt.

§. XXII.

Ex datis §. 19. 20. 21. concludimus, pulmones talem ſtructuram obtinuiſſe, vt, inter alia, circulus ſanguinis, qui, ob inæqualitatem ventriculorum cordis, non, niſi per condenſationem ſanguinis, fieri poteſt, rite peragatur.

§. XXIII.

Vti vero aer temperatus, in ſtatu ordinario, refrigerium naturale ſanguinis producit, vt eius circulus conſeruetur; ſic intemperanter frigidus grauiorem obſtructionem arteriolarum, hinc ſanguinis ſtaſin, & ſubſequam inflammationem, efficere poteſt; ſanguinis, & fibrarum vaſculorum diſpoſitione concurrente.

§. XXIV.

Quo magis enim ſanguis copioſioribus ſalino-ſulphureis acribus particulis gaudet, ſero autem blando caret, ſpisſiorque ſic redditur, & acrior; fibræ autem extremitatum arteriolarum ſtrictiores paulo ſunt, eo promptius aer nimis frigidus talem effectum edit, & contra. Adeoque ſi quis, ita conſtitutus, hiemali tempore aeri intenſe frigido improuide ſe exponat, vt in itineribus longioribus & alias fieri ſolet, contra aeris iniurias non defenſo ſatis corpore, facillime peripneumonia corripi poteſt.

§. XXV.

Ex phyſicis enim patet:

1.) ignem tranſire e corpore quocunque in quodcunque vicinum, quod tantam quantitatem ignearum partium relatiue non posſidet.

2.) quo frigidius eſt corpus, eo maiorem quanti-

tatem ignearum partium, ex calidiori corpore, in ſe recipere.

3.) Corpora, quo magis ſunt diuiſa, eo maiorem eorum reddi ſuperficiem.

4.) Hunc tranſitum ignis eſſe eo maiorem, quo maior ſuperficies corpori frigido contingenti conceſſa eſt.

5.) Corpora, quo ſunt minora & tenuiora, eo citius amittere calorem.

§. XXVI.

Cum itaque, per experientiam, continua reſpiratione vtamur, frigidus talis, qui ſupponitur, aer, (§. 23. & 24.) per inſpirationem intrat pulmones; &, quia rami bronchiales in medio vaſorum ſanguiferorum ſiti ſunt, (§. 18. n. 1.) & hunc ordinem per totum pulmonem ſeruant, (§. 18. n. 2.) atque in minutiſſima abeunt vaſa, (§. 18. n. 3.) omnia vaſa pulmonis contingit; quia inſuper etiam, magnitudine vaſorum decreſcente per diuiſionem in plures ramos, ſuperficies eorum relatiue creſcit, (§. 25. n. 3.) in pluribus punctis cum vaſis ſanguiferis contactus fieri poteſt. Tranſeunt itaque, calor ex parietibus vaſorum & maſſa ſanguinea, & vapores ſeri ex eadem (§. 25. n. 1. & §. 20.) in aerem frigidum, quod eo citius fit, quo magis in tenuiſſimis & pluribus vaſculis hoc loco contingit. (§. 25. n. 5.) Aer itaque in pulmone hærens, igneis partibus & vaporibus ſeri repletus, per exſpirationem expellitur, & nouus aer in eius locum per inſpirationem ſuccedit, vbi priſtinus caloris & vaporum tranſitus toties repetitur, quoties frigidi aeris admiſſio locum habet.

§. XXVII.

Cum maſſa ſanguinea fluiditatem ſuam a ſero & calore proportionato ſimul habeat, vtroque imminuto cohæſionem maſſæ ſanguineæ augeri neceſſe eſt. Fluida

vero,

vero, magno cohæſionis gradu prædita, dicuntur viſcida & ſpiſſa; Ergo ex maſſa ſanguinea, antea ſatis fluxili, fluidum ſpiſſum & viſcidum ita redditur: ex ſpiſſitudine vero maſſæ ſanguineæ ineptitudo ad penetrationem per vaſa ſubtiliſſima, ex hac ſtagnatio ſanguinis in minutiſſimis vaſculis, producitur, quæ cauſa inflammationis ſupra erat. (§. 23.)

§. XXVIII.

Quoniam vero eodem tempore calor ex interſtitiis parietum vaſorum pulmonalium abit, partes, quæ antea ſeſe mediantibus particulis igneis contingebant, ad minus inter ſe coeunt ſpatium, i. e. conſtringuntur; vnde cauitas, a parietibus extremorum vaſculorum determinata, imminuta redditur, vt minime decentem quantitatem ſanguinis transmittere poſſint.

§. XXIX.

Cum ſanguis per frigus non ſolum ſpiſſus reddatur, per dicta, verum etiam acrior, ob ſeri temperantis notabilem hoc loco factum ſeceſſum, & ideo eminentiores redditas particulas acres, fibrillis extremis arteriolarum, eas irritando, criſpaturam & ſtricturam infert, adeoque anguſtiam ſeu obſtructionem adhuc magis auget.

§. XXX.

Obſtructione hac ob frigus intenſius admiſſum a ſanguinis ſpiſſitate (§. 27.) & parietum arteriolarum extremarum ſtrictura & criſpatura (§. 28. & 29.) facta, ſtaſis ſanguinis actiuioris ſequitur.

§. XXXI.

Staſi tali in arteriis, ob obſtructionem arteriolarum, orta, ſanguinis adfluxus in arterias tamdiu continuat vegetus, donec hæ diſtendi amplius nequeant, adeoque ea fiunt, quæ §. 3. ſunt recenſita, ſeu ipſa in-

flamma-

flammatio & symptomata eius essentialia. Plures quidem dantur causæ mediatæ remotiores quam aer nimis frigidus, quæ tam spissitudinem & acrimoniam similem sanguini inferre, quam parietum arteriolarum extremarum stricturam, adeoque stasin inducere, valent; has autem iam considerare non lubet, contenti vt, quomodo aer intense frigidus, hæc inferre soleat, explicauerimus, cum eminentior & frequentior hæc causa sit remotior.

§. XXXII.

Facto in pulmone hoc incendio, siue aer nimis frigidus, siue alia causa, occasionem dederit, (§. 31.) supra commemorati inflammationis effectus essentiales, qui symptomata dicuntur, in hoc quoque viscere adesse debent. (§. 1.) Cum vero ad internas corporis humani partes accessus plane non pateat, phænomena quoque hæcce immediata inflammationum internarum non ita statim manifesta sunt: hinc alia signa in subsidium vocanda erunt, e quibus veram pulmonis inflammationem deprehendere licebit.

§. XXXIII.

Dignoscitur vero peripneumonia

1.) ex febre acuta continua, (§. 7. & 10.) quæ vel prius, vel statim cum inflammatione adest, vel eandem cito sequitur. Nam tam per pulmones omnis sanguis, e partibus veniens, transit; (§. 19.) hinc pars sanguinis, per stasin & inflammationem acrioris facti, toti massæ sanguineæ subito & continuo commiscetur; (§. 9.) quam ob aeris accessum, a vasorum sanguiferorum distensione, & exinde facta bronchiorum compressione, impeditum, calor decenti modo temperari nequit; vnde intemperies calida augetur, & quidem tanto maiori gradu, quando inflammatio in partibus superioribus, prope apud ingressum bronchiorum, hæret. Aer enim,

in bronchiis contentus, a parte inflammata calidus redditur, hinc in inferioribus pulmonis partibus parum, vel plane nihil, temperare poteſt, vnde etiam ex hac cauſa calor in toto maior fieri, & febris augeri, debet.

2.) Ex reſpiratione frequenti, difficili, feruida. Licet vero ex ſola reſpiratione frequenti & difficili ad præſentiam inflammationis in pulmonibus argumentari non liceat, ſiquidem eadem ex calore, per motum externum in corpore maiori facto, venire poſſit: feruida tamen aeris ex ore protruſio ſimul accedens, certum pulmonis incendium indicat. Semper vero id valet, vt, vbi inflammatio pulmonis adeſt, ibi etiam reſpiratio frequens & difficilis eſſe debeat. Creſcit enim calor tam ex febre, quam ex inflammatione, vnde ægri quouis modo per frequentem aeris externi immiſſionem opem & leuamen quærunt; quia vero ex obſtructione inſufficiens aeris quantitas accedit, oritur reſpirandi difficultas.

3.) Ex ſenſu grauitatis in pectore: certum enim indicium eſt, aliquid magis collectum eſſe in pulmone.

4.) Ex dolore vel nullo, vel obtuſo: id quod fit, tam quia hoc viſcus paucis inſtructum eſt neruis; (§. 17.) quam quia etiam in ſtatu ordinario ad notabile ſpatium, ſine omni doloris ſenſu, diſtenti ſe patiuntur pulmones. Hoc ſymptoma peripneumoniam ab illo lateris incendio, quod pleuritis nominari ſolet, manifeſte diſtinguit; ſiquidem illa ſemper acutiſſimum ac moleſtiſsimum doloris ſenſum coniunctum habet.

5.) Ex decubitu corporis moleſto. Cum in ſtatu erecto hominis, elater pulmonis tantum ab aere ſuperari debeat; in decubitu vero corporis pondus pulmonis, & preſſio diaphragmatis ab infimi ventris contentis, ſimul obſtent commodæ thoracis eleuationi, hinc decubitus non, niſi moleſtus, eſſe poteſt.

6.) Ex tuſſi cum ſputo vel nullo, vel cruento, vel ſpumoſo. Omne enim quod irritationem fibrarum bronchiorum internarum facit, tuſſim excitare ſolet. Omnis ſtaſis & inflammatio acres partes coniunctas habet, quæ, in bronchia accedentes, irritant, hinc in omni inflammatione pulmonis eſſentialiter tuſſiendi cupiditas adeſſe debet. Si vero ſimul cum tuſſi aliquid e loco inflammato eiicitur, id dependet a ſeri fluxilis præſentia, vt hinc ex ſanguine ſubſiſtente aliquid humoris reſoluti ſecernatur in bronchia, quod tusſi reiicitur, ſiue ſanguis tenuis, ſiue humor ſpumoſus, vel alius, ſit.

7.) Ex rubore faciei. Nam ſanguis non libere per pulmones circulare valens, reſiſtit ſanguini, per venam cauam ad cor adfluenti, vnde venæ & arteriæ turgidæ fiunt, & ex turgeſcentia rubor oritur.

8.) Ex pulſu paruo, ex celeri frequente, molli, & inæquali. Quia ventriculus cordis ſiniſter non ſufficienter repletur, vnde mollities & exilitas pulſus: ex celeri frequens vero fit, ob irritationem a febri, & repletionem inſufficientem, quæ vtraque inæqualitatem etiam faciunt. Magnus, vndoſus, & mollis ſimul in quibusdam occurrit, ſi ſanguis maiore quantitate in toto adeſt, & rarefactionem maiorem ſubeat.

§. XXXIV.

Præter iſta ſigna accedit etiam ſitis, ſiccitas oris, aſperitas linguæ, dolor capitis, vigiliæ, imo, ſi grauius malum eſt, deliria, quorum rationes partim ex dictis & eſſentia febris, partim ex gradu inflammationis diuerſo petendæ ſunt.

§. XXXV.

Si arteria bronchialis Ruyſchii ita adficiatur ſola, quod tamen vix fieri ſolet, mitior & reſpiratio & febris coniecturam eius quidem præbere poſſet, ſed id etiam in peripneumonia occurrere valet mitisſima.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Peripneumonia morbus admodum periculosus, & dubius est. Præcipue malus exitus timendus erit, si locus inflammatus in magno est spatio, si febris sit grauior, acutior, & malignior, respiratio maxime difficilis, suffocationem minitans, nisi corpus erectum sit, expectoratio adpareat vel nulla, vel haud ante diem septimum, sique adsit, haud decenter continuet, deiectio virium adsit maior, sputum non rite coctum, sed sincerum, & coloris magis peregrini, & similia alia. Salus vero sperari potest, si omnia iam dicta sint mitiora: febris non tanto gradu furat, vires & robur sufficienter adsint, respiratio tollerabilior, & expectoratio mature fiat, sputum flauescens, modice rubellum, sit, non valde cruentum, facile secedat: Aeger compos mentis maneat. Indicant enim tam minorem inflammationis gradum, quam massam sanguineam non ita ad destructionem vergere.

§. XXXVII.

Acutissima quandoque peripneumonia est, tertio & quarto die necans. Frequentius die septimo vel decimo quarto, interdum etiam, ad diem decimum octauum vel vigesimum durans, iudicatur. In alium morbum transiens huius naturam postmodum sequitur.

§. XXXVIII.

Ad salutem tendit vel discussione, si statim in principio remedia apta fuerint adhibita, per transpirationem insensibilem; vel resolutione, succedente excretione laudabili, per sputum bene procedens, per hæmorrhagiam narium aut vteri, per sudorem, per vrinam, per aluum, vbi sæpius sputum bonum vna continuat; vel suppurationem, vbi pus aut per expectorationem recte exitum habet, aut a venulis pulmonum re-

ſorptum per vrinam, vel aluum, perfecte depletur, aut, in alias partes, v. g. pone aures, decubitum faciens, abſceſſum format, isque rite procedit & ſanatur. Ad mortem abit vel ſuffocatione, vel reſolutione ſanguinis deſtructiua. Suffocatio fit, ſi nec diſcusſio, nec reſolutio fiat, ſi pus factum bronchia nimis repleat, quod aliquando ſubito fit. Reſolutio deſtructiua a febri maligniori, a gangræna & ſphacelo ſuperueniente, a pure remanente, nec ſufficienter depleto, vnde in hecticam, phthyſin prius abit, lentaque mors ſequitur. Suffocatio & reſolutio ſimul mortem infert, ſi inflammatio pulmonum in ſcirrhum abierit, licet aliquando lente id fiat.

§. XXXIX.

Peripneumonia cum a ſtaſi ſanguinis actiuioris, hæc autem ab obſtructione arteriarum extremitatum dependeat, & febrim acutam comitem habeat, ſymptomataque vrgentia excludat, curabitur, ſi ſtaſis expediatur, febris expugnetur, & ſymptomata vrgentia mitigentur. Staſis remouebitur, ſi tam ſanguis & acris bilioſus fermenteſcens, & ſpiſſus, redditus, quam extremitatum arteriarum parietes emendentur, quia hæc obſtructionem, ſtaſin inferentem, faciunt. Febris, cum a partibus ſanguinis acribus bilioſis, fermentatiuis dependeat, iisdem expugnatur.

§. XL.

Sanguinem acrem, bilioſum, fermentificum emendant, quæ has eius particulas corrigunt & minuunt. Minuit easdem veneſectio, quando plethora, ſanguis feruidior, vires ſufficientes, adſunt, & ſtatim in principio morbi, in oppoſito latere, proportionata quantitate fit. Hæc ſi ita ſe non habeant, abeſſe debet.

§. XLI.

§. XLI.

Corrigunt & minuunt partes acres biliosas fermentificas inprimis diaphoretica ac bezoardica blanda, media atque fixa. Qualia sunt mixtura simpl., tinctura alexipharm. Stahlii, essent. scordii, tinctur. bezoard. B. Wedelii, camphora ipsa in refracta dosi & cum nitrosis. antimon. diaphor., bezoard. minerale, lap. cancr., corn. ceru. philosoph., pulu. bezoard. maior & minor B. Wedelii, Sennerti, epilept. marchion., spec. cordial. temperat., antipleuriticus, lap. de Goa, lap. bezoard. orient. & occident., quae tam per se, quam in forma potionum cum aqua scorz., card. benedicti, cerasor. nigr., acac. scabios. bellid. flor. sambuc. papau. rhead. cerefol. addito sirupo acetos. rosar. violar. acetositatis citri &c. vsurpari queunt, iunctis aliis quoque, scopo aptis.

§. XLII.

Corrigunt easdem partes absorbentia, vna bezoardica & diaphoretica, & alia; corrigunt salia media, inprimis nitrum depuratum, hinc & arcan. dupl. Myns. acidula, vt tinctur. flor. papau. rhead. bellid. rosar. clyssus antimonii, potui ordinario minori dosi instillanda, spiritus nitri dulcis ad gutt. v. vj. viij. potionibus additus; corrigunt sulphurea demulcentia, vt hord. auena, cornu cerui, in decoctis, semina quatuor frigida maiora in emulsionibus. cinnabaris natiua & anodyna, minori quantitate addita. Corrigunt etiam diluentia aquea iam commemoranda.

§. XLIII.

Spissior sanguis tenuior & fluxilior redditur per eadem diaphoretica & bezoardica, aliaque resoluentia absorbentia; tenuior & fluxilior redditur per ea, quae

 serum

ſerum blandum reſtituunt, vt decoct. hord. cum C.C. & ſcorzon., quibus facile addi queunt rad. glycyrrh. graminis, tarax. herb. veron, ſcabioſ. tusſilag. card. benedict, cerefol. bellid, viol. flor. ſcabioſ. bellid. paſſul. minores, iuiubæ, ſebeſten, caricæ pingues &c. Ita & emulſiones cum aquis deſtillatis recenſitis hoc nomine proſunt; ne de iuſculo auenaceo, herba Thee &c. dicamus.

§. XLIV.

Parietum arteriarum extremarum criſpatura, cum maxime ab acrimonia bilioſa ſimul dependeat, antea laudatis corrigitur. Externa etiam tam criſpaturæ huic, quam ſpisſitati & acrimoniæ ſanguinis, ſuccurrunt. Vt olea externa ol. polychreſt. B. Wedelii, & ad huius modulum combinata ſimilia. Vnguenta, vt pectorale, rubr. potabile, quibus & olea deſtillata iungi queunt. Vtrisque recte ſuperimponuntur ſacculi paregorici, vt Wedelii, facile variandi. Fotus ex lacte calido, decocto paregorico, ſpirituoſis, vt ſpiritu matricali, ſpir. vini camphorato, cum linteo quadruplicato, & ſimilia ſi quis ſubſtituere, vel interponere, his velit, liberum id eſt.

§. XLV.

Suppuratio ſi dictis haud auertatur, illa non impedienda, ſed promouenda eſt, vt purulenta materia reddatur ſatis cocta, & ad ſecretionem & expectorationem magis habilis. Præſtant id antea recenſita continuata, iisque remixta & interpoſita antipleuriticæ, pulu. pleurit. Wedelii, dens hippopotami, caſtor., ſanguis hirci, ſperma ceti & ſimilia, hinc & decoctum iam recenſitum. Abſterſionem & mundificationem partim modo dicta, partim pectoralia & balſamica, efficiunt eodem modo, vt in pleuritide, quibus continuatis,

tis, etiam conſolidatio ſequitur. Alius morbus ſi peripneumoniam excipiat, eodem, vt alias, tractatur modo.

§. XLVI.

Sitis humectantibus & temperantibus leuatur. Aluus obſtructa clyſteribus blandis & ſuppoſitoriis reſeratur. Deliriis ingruentibus, præter interna, veſicatoria vtilia ſunt. Maxime vero expectoratio non rite procedens iuuanda erit. Conuenit tunc oleum bezoard. B. Wedelii ad guttas tres, bis intra diem & noctem exhibendo, eſſent. pimpin. albæ cum decocto herbæ thee ad paucas guttas propinata, ſperma ceti, reliquaque reſoluentia in potionibus, cum oxymel. ſquillitico, vel ſimplici, ſirupo hyſſopi, interdum linctus vtiles ſunt reſoluentes.

§. XLVII.

Aer temperatus potisſimum eſt obſeruandus. Cibus tenuis, facillimeque reſolubilis, & humectans ſimul prodeſt, vt iuſcula auenacea, pullorum, carnesque tenerrimæ, ſi appetit æger; potus blandisſimus confert, magis tamen decoctum hordei vel auenaceum, quam paulo ſpirituoſior; decubitus eſt neceſſarius, vt & quies, ſomnus minime impediendus eſt, ſed nimis deficiens, vt in aliis febribus, blande inuitandus; omnes animi motus excedentes vitari debent, excretionesque ordinariæ blandæ conſeruandæ ſunt.



So

* * * * * * * * *

So nimm den Lorbeer-Crantz; nimm, Theurer Freund, den Huth,
Du hast ihn längst verdient; Du trägest ihn mit Ehren.
Die Einfalt steht und spricht: was, so ein junges Blut,
Soll dessen Ruhm und Glantz der Purpur schon vermehren?
Die Antwort folgt sogleich: dem, der was rechtes kan,
Er sey jung oder alt, steht dieser Purpur an.
Diß aber, daß Du auch aus letztrer Zahl gewesen,
Läst Deine eigne Schrift der Einfalt selbsten lesen.

Seine Hochachtung und Freundschaft bezeuget in diesen Gedancken des Herrn Doctoranden ergebenster Freund und Diener

Gottfried Ernst Müller,
aus Ilmenau in Francken, Med. C.
OPPONENS.

SVMAS promeritam laurum! lætantur amici,
Doctores, ciues, patria, mater, ego.

Viro prænobilissimo atque experientissimo, Auctori huius egregii speciminis doctissimo, Fautori & Amico suo summe colendo, de summis in arte medica honoribus gratulaturus hæc pauca adiecit

FRID. THEODOSIVS MVLLER
Ilmenauia-Francus. Theol. & Philos. C.

